

fuisse dubium, præsertim de Tobia, Judith, Esther, Sapientia, Ecclesiastico, Maccabæis &c. Rectius ergo illi enarrati libri dicuntur Apocryphi, hoc est, obscuræ & dubiæ veritatis. Errant omninò Papistæ, qui ex Concilio Tridentino sess. 3. Canone 3. disputant, omnes libros biblicos, prout in vulgatâ Latinâ editione leguntur, esse verè divinos & authenticos. Hoc dico erroneum est, quia 1. quidam libri in latina veteri Bibliorum versione contenti, destituuntur spiritu & sermone Prophetico, quippe post ultimum Prophetam Malachiam scripti, post quem in V. T. non fuit authenticus Doctor. Lib. 1. Maccab. c. 4. v. 46. & reposuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoad usq; veniret Propheta & responderet de eis: Ibid. c. 9. v. 27. Et facta est tribulatio magna in Israël, qualis non fuit eo die, qua non est visus Propheta in Israël. It. c. 14. v. 41. Et quia Judei & Sacerdotes eorum consenserunt eum esse ducem suum, & summum Sacerdotem in æternum, donec surgat Propheta fidelis. At verò omnes libri biblici verè Canonici in V. T. fuerunt Prophetici. 2. Pet. 1. v. 19. Habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benè facitis attendentes. Sic Christus eâ de causâ nos revocat unicè ad Mosen & Prophetas. Luc. 16. v. 19. Habent Mosen & Prophetas, audiant illos. Cap. 24. v. 25. O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Sic Paulus unicè docuit ex Mose & Prophetis. Act. 26. v. 22. Auxilio Dei adjutus, usq; in hodiernum diem sto, testificans minori atq; majori, nihil extra dicens, quàm ea quæ Prophetæ locuti sunt futura esse & Moses.

2. Quia quidam libri Romanæ Ecclesiæ biblici falsa & dissona continent, ut constat ex libro 1. Maccab. c. 6. v. 10. 13. de morte Antiochi. Et vocavit omnes amicos suos, & dixit illis: Recessit somnus ab oculis meis, & concidi, & corruï corde præ sollicitudine. Cognovi ergo, quia propterea invenerunt me mala ista, & ecce pereo tristitiâ magnâ in terrâ aliena. Et libro 2. Maccab. c. 1. v. 16. Cùm intrâisset Antiochus apertoque occulto aditu templi, mittentes lapides percusserunt ducem, & eos qui cum eo erant, & diviserunt membratim, & capitibus amputatis foràs projecerunt. Nec non ibid. cap. 9. v. 28. Igitur homicida & blasphemus pessimè percussus, & ut ipse alios tractaverat, peregrè in montibus miserabili obitu vitâ functus est. Deniq; 3. nonnulli libri V. Testamenti